in nauim. et cessauit uentus. Et plus inter se stupebant. Non
enim intellexerant de panibus. erat enim cor eorum obcecatum. Et
cum transfretassent uenerunt in terram genesareth. et applicuerunt.
Cumque egressi essent de naui. continuo cognouerunt eum. Et percurren
tes uniuersam regionem illam. ceperunt in grabatis eos qui se male
habebant circumferre. ubi audiebant eum esse. Et quocumque introi
bat in uicos uel in uillas aut ciuitates. in plateis ponebant
infirmos. et deprecabantur eum. ut uel fimbriam uestimenti eius tan
gerent. Et quotquot tangebant eum. salui fiebant. Secret.

Suscipe domine sacrificium. cuius te uoluisti dignanter immola
tione placari. presta quesumus. ut huius operatione mysterii mundati.
beneplacitum tibi nostre mentis offeramus affectum. Per dominum. Complend.

Celestis uite munere uegetati. quesumus domine. ut quod est in presen
ti uita mysterium. fiat eternitatis auxilium. Per. Sr. plm.

Fideles tui deus per tua dona firmentur. ut eadem et perci
piendo requirant. et querendo sine fine percipiant. Per. Dominica

Inuocauit me et ego exaudiam eum. eripiam eum In xl.
et glorificabo eum longitudine dierum adimplebo eum.
Ps. Qui habitat in adiutorio altissimi. euouae Oratio.

Deus qui ecclesiam tuam annua quadragesimali obser
uatione purificas. presta familie tue. ut quod a te ob
tinere abstinendo nititur. hoc bonis operibus exequatur. Per.

chor Fratres. Hortamur uos. ne in Ad chorinthios.
uacuum gratiam dei recipiatis. Ait enim. Tempore accepto
exaudiui te. et in die salutis adiuui te. Ecce nunc tempus
acceptabile. ecce nunc dies salutis. nemini dantes ullam